

& spurium, in locum genuini, principium substituere, & cum principio nouo, nouam quoque & religionis & theologiae faciem inuehere velle. Longe aliter sensit LVTHERVS, qui in *Artic. Smal. p. 333. F. C.* *In hoc, inquit, nobis constanter est perseuerandum, quod Deus non velit nobiscum aliter agere, nisi per vocale verbum & sacramenta, & quod, quicquid sine verbo & sacramentis iactatur, ut spiritus, sit ipse diabolus.*

VI. Christus discrimen in ecclesia inter doctores, & auditores approbavit.

§. I.

Seruator enim a) $\rho\eta\tau\omega\varsigma$ cathedrae Mosis facit mentionem, in qua sedere idem erat, quod munere docendi, vel iudicandi fungi, b) non omnes promiscue, sed Phariseos tantum & Scribas in ea sedere, affirmat, c) eos tantum, qui in ea sedebant, audiri, reliquos audire, vult, d) suos etiam discipulos, qui magistri esse scribarum poterant, idem facere, quod populum, iubet.

§. II. Permulti tamen sunt hodie, qui in ecclesia quadrata rotundis miscere, ordinem clericorum & laicorum, a Deo institutum, a Christo approbatum, in ecclesia, semper obseruatum, migrare, pruritu mero nouaturiendi, & libertinismum docendi in ecclesiam inuehere volunt. Testor hic, praeter alios, ARNOLDVM in *Haeresiol. P. I. L. III. c. 2. p. 58.* Eandem inflant tibiam omnes illi, quotquot vel *libertatem docendi in ecclesia* cum JOAN. MERCKERO in Vestphalia an. 1703. in Libro German. de Libertate docendi, confutato a Dn. D. Wernsdorffio pec. Dissert. an. 1703. *propugnant*; vel etiam *mulieribus* docendi, & sacramenta administrandi, in defectu ordinariorum ecclesiae ministrorum, cum JO. HENR. REITZIO, in dem geöffneten Himmel an. 1705. edit. p. 38. *tribuunt*; vel etiam, *ex sacerdotio spirituali, vniuersale ius praedicandi deriuant*, & ius omnibus Christianis, in clauis regni coelorum, competere, aiunt.

D 3

§. III.